



Disputatio juridica inauguralis de societate

<https://hdl.handle.net/1874/342128>

26.

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE
SOCIETATE,
Q V A M,
FAVENTE DEO TER OPT. MAX.
Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,
D. M. JOANNIS LUYTS,

Philosophiae Doctoris, ejusdemque Facultatis in Inclytâ Academiâ
Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,

N E C N O N

*Amplissimi Senatus Academicî consensu, Nobilissimeque
Facultatis JURIDICÆ Decreto,*
PRO GRADU DOCTORATUS,
Summisque in UTROQUE JURE honoribus & Privi-
legiis ritè, ac legitimè consequendis,

Eruditorum Examini subjicit

GUILIELMUS POTTEY, Mediob. Zeland.

A. D. 6. Julii, hora locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,
Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academæ
Typographi, clo loc LXXXVIII.

*Amplissimo, Gravissimo, Spectatissimo
V I R O,*

D.D. HERMANNO POTTEY,

Illustrium ac Præpotent. Zelandiæ Ordinum a Re-
publ. Mediob. ad Cameram Rationum Dele-
gato meritissimo. Parenti suo, nunquam non ve-
nerando.

N E C N O N

D.D. ENOCHO POTTEY, J.U.D.

Et Advocato celeberrimo, Fratri suo germano,
unico, omni amore prosequendo.

U T E T

D.D. JOANNI à BOCHOVEN, J.U.D.

Coram Curia Hollandiæ, Causarum Patrono In-
defesso, eruditissimo, & nomine Illustrium, ac
Præpot. Ordinum Generalium ad Rem Armamen-
tariam Delegato, ex affinitate fratri suo perdilecto.

*Hæc studiorum suorum Primitias, sacras
esse vult*

G. P O T T E Y,

Auct. & Rep.



DISPUTATIO JURIDICA

INAUGURALIS,

DE

SOCIETATE.

CAPUT I.

Ocietas, latinis s^ep^ee idem est, quod consortium; Sic Collegia Societas vocantur *l. 1. ff. quod cujasque universit. l. 3. §. 4. ff. de bono poss.* etiam aliquando matrimonium, Societas vita appellatur in *l. 1. ff. de aet. rer. amor.* ita Græcis Kovaria vocatur *Theoph.* ad *Inst. h. t.* & in *l. 3. §. 1. communio*, uti in *l. 3. 53. ff. pr. h. t.* Proprie Societas dicitur *coiri, contrahiri, & inchoari.* Qui vero contraxerunt, *Socii* sunt, quia communi consensu aliquid possident, ita *communium prædiorum dominos*, *socios* appellat *l. 19. & l. 34. ff. de servit rustic.* & quia hic contractus initium suum, ex amicitia contrahentium sumpsiisse videtur, ideo a Juris Consulto in *l. 3. ff. de f. & f. cognatio naturalis* vocatur hominum illa societas. Sed quoniam

4 DISPUTATIO JURIDICA

scopus noster tantum spectat ad ipsum Societatis contractum, ita describere pergitus.

C A P U T I I.

Societas est contractus juris gentium, nominatus, benefidei, consensu constans, quo rei, vel opera communio contrahitur, ad partendum lucrum, & damnum. Hunc contractum celebrare omnes possunt, qui sealis, & alios sibi obligare queunt. In hoc contractu requiri, Primo bonam fidem, nullus est, qui dubitat, nec enim aliunde dicta sunt bona fidei judicia, quam quod bonam fidem maxime desiderent, nec eam tantum, quæ dolo opponitur, & quam in omnibus contractibus desiderari certum est l. 4. C. de oblig. & action. Sed eam quoque, quæ æquitati potissimum innititur l. 31. ff. deposit. In contractu vero societatis, ea non tantum adesse debet, sed etiam exuberare l. 3. C. hoc tit. quia jus habet fraternitatis l. 63. ff. h.t.

Secundo in societate desideratur consensus, nec interest, quomodo exprimatur, an verbis, an rebus, an litteris; dummodo de consensu tantum constet, veluti, si duo eamdem rem communiter, & simul emerint, & non expressim inter eos convenierit, ut res communicetur, tacito quodam consensu, contracta dicitur societas l. 2. C. h.t. unde, si unus pretium rei emptæ solverit, id judicio societatis recuperabit pro parte dimidia.

Tertio in hunc contractum venit rei, vel operæ communio, rei autem appellatio, generalis est, quia continet omnia, quæ in patrimonio sunt, vel extra patrimonium, & ad omnem contractum, causasque & jura pertinet. l. 5. & l. 23. de verbor. significat; quæ res & operæ, tamen debent esse honestæ, nam in honestarum rerum, nulla est societas l. 57. ff. h.t. unde, quæ delicto, vi, furto, aut latrocino, ab uno sociorum parta sunt, aut ob pœnam amissa, inter socios non sunt communia l. 52. §. 17. ff. b. t.

Quarto, scopus hujus contractus, est participatio lucri, & damni.

INAUGURALIS. §

damni; nam nemo sanæ mentis, aliter contraxisse videtur, quam ut lucrum, & damnum simul communicet; quia secundum naturam est, commoda cuiusque cum sequi, quem sequuntur incommoda l. 10. ff. de R. J. quamvis aliquando contingere possit, ut unus solus damnum sentiat, cæteri vero lucrum participant, de quibus plenius infra.

CAPUT III.

Omissis illis, videamus, quomodo contrahatur societas; nempe, illa contrahitur vel *pure*, vel sub conditione l. 1. ff. pro soc. & l. 75. ff. eod. Si vero quis roget quare veteres hac de re dubitarint, & quid opus fuerit nova constitutione, in l. pen. C. h. 2. cum omnes contractus consensuales, diem & conditionem recipiant? Respondet Cujacius J. C. ideo dubitasse veteres, quod scilicet, societas dominium transferat l. 1. in fin. & l. 2. ff. b. t. singitur intervenisse tacita mancipatio & traditio; quæ tamen conditionem respuit. l. 77. ff. de R. J. Sed placuit Justiniano, ut Societas sub conditione possit contrahi, & ut voluntas, legitimate contrahentium, omnimodo conservetur, quia contractus ex conventione vim suam accipit. d. l. pen. C. h. t.

Deinde, Societas vel est *perpetua*, vel *temporalis*; illa durat, quamdiu vivunt socii, sive contrahentis, & si eorum voluntas integra maneat l. 5. C. h. t. hæc vero ita-dicitur, quando ad certum tempus est contracta; & eo lapso extinguitur etiam ante mortem l. 1. ff. b. t. in *eternum* autem nulla Societatis est coitio l. 70. ff. eod. quia excederet vitam contrahentium: sed, quando dicimus in *perpetuum*, nihil aliud intelligimus, quam cursum humanæ vitæ; uti patet ex l. 1. ff. b. t.

CAPUT IV.

Distinguitur Societas in *publicam* & *privatam*: publicam constituit natura inter omnes homines, estque nihil aliud, quam natu-

DISPUTATIO JURIDICA

ralis omnium hominum cognatio l. 3. ff. de *Just.* & *Jur.* veletiam in specie publica dicetur Societas, quando duo, aut plures, communiter conduxere rem publicam, veluti vestigalia, & id genus alia. Privata est iterum vel *universalis*, quæ est omnium bonorum, vel *particularis*, quæ est unius alicujus negotiationis, utputa aut olei, aut vini, aut frumenti emendi, vendendique pr. *inst. b.t.*

CAPUT V.

Universalis omnium bonorum societas, continet generaliter omne nostrum patrimonium, & non tantum spectat bona præsentia, verum etiam futura omnia, ex quacunque causa illa acquiruntur; hoc tamen discrimine, quod præsentia, quasi tacita quadam traditione, vi conventionis, ipso jure communicantur, exceptis nominibus l. 1. §. 1. & l. 2. & 3. pr. ff. b. t. Futura vero non statim sunt communia, sed sunt ipsius, qui acquisivit, & judicio societatis, cogitur communicare l. 73. & 74. ff. b. moribus, hodie, ut refert D. Joan. a Sande, rer. jud. l. 2. tit. 5. defin. 3. omnium bonorum communio inter conjuges ipso jure constituitur, nisi quod contra, pactis antenuptiali-cautum sit; & quod amplius est, omnia, quæ acquirunt post contractum matrimonium, veniunt etiam in communio-nem, quamvis tamen cæteri socii universalium bonorum, co-gantur hoc judicio, quæsita communicare l. 73. ff. b. t. in tali so-cietate, peculiare illud est, ut omne, quod necesse habet socius præstare ex quacunque obligatione, id veniat in rationem socie-tatis. Tametsi aliquid extra causam societatis præstitum fuc-rit l. 52. §. ult. ff. b. t. l. 39. §. 3. ff. fam. erisc. & non inique, quia quocunque ex causa lucrativa obvenit, debeat esse com-mune, uti etiam contrarium obtinet, quando agitur de da-mno, pro ut convenerit, nam magis inspicere oportet quid pactum fuerit, quia conventio & pactum dant legem contra-ctibus. Ex communi societate etiam expendi debent sumtu-

studio-

studiorum l. 39. §. 3. ff. fam. erit. verum in societate omnium bonorum sole excluduntur res feudales: quamvis non earum fructus.

Societatem omnium bonorum tacite contrahi posse, negat Glossa in l. 3. in verbo *specialiter ff. b. t.* fundamentum est in dicta l. 3. §. 1. ubi dicitur *cum specialiter omnium bonorum societas coita est &c.* probat quidem textus, expresse contrahi posse, sed non negat, etiam tacite id fieri. Sed contraria est communis D. D. sententia, ratio est, quia societas est contractus, qui celebratur consensu, l. *consensu de Act. & oblig.* consensus vero ut supra diximus quoquo modo declarari potest: quam sententiam etiam veriorem esse putat *Fachineus*, lib. 12. *controvers.* cap. 14.

CAPUT VI.

PArticularis societas describitur in *pr. inst. b. t.* quod sit, *hujus*, aut illius rei vel negotiationis communio, ut puta, equi vendendi, vel mancipiorum emendorum ac vendendorum, aut olei, aut vini, aut frumenti emendi, vendendique: alia *hujus* societatis exempla peti possunt ex l. 52. §. 4. & seqq. ff. b. t. ubi agitur de societate contracta in negotiatione sagaria, & argentaria, in quo genere societatis ita *jus* est, ut ea tantum communicanda sint, quæ ex illius negotiationis causa proveniunt, non quæ aliunde, id est ex industria personæ, vel ex fortuna D. l. 52. §. 5. ideoque, quod quisque non ex *argentariæ* causa, sed ex alia causa quæsierit, non ad communionem pertinebit, sed acquirentis proprium erit.

CAPUT VII.

VIdimus naturam hujus contractus, ejusque divisiones; sequitur jam, ut suo ordine, observemus Regulas quasdam circa communionem Lucri & Damni. Sed primo sciendum erit

8. DISPUTATIO JURIDICA

erit quid sit lucrum, quid damnum; lucrum nempe nihil aliud significat, quam commodum, emolumentum, & questum. Sic dicitur, si quod lucrum ex emtione, venditione descendit l. 7. ff. pro soc. & lucrum quod in quaestu venit l. 13. ff. eod. lucrum vero non intelligitur, nisi omni damno deducto, utque è contra damnum, non nisi omni lucro deducto l. 30. ff. eod. Ideoque lucrum, & damnum, sunt opposita l. 8. §. ult. ff. de eo quod cert. loc.

C A P U T . V I I I .

PRIMA regula in contracti Societatis observanda, est, ut si nihil de partibus lucri & damni convenerit, æquales sint, habita ratione collationis §. 1. ins. de societ. & l. 29. ff. eod. in hac regula non observatur proportio Arithmetica, sed Geometrica; nam pro Quantitate cuiusque sortis, intelliguntur partes Societatis, ut qualis proportio sortis ab uno illatè, ad aliud collatè, talis etiam sit proportio lucri; quod ita intelligi debet, ut si Titius contulerit centum, Mævius vero quinquaginta, Titius accipiet duas partes lucri, Mævius tantum unam; sed si æquales partes contulerint, nulla de divisione dubitatio est: si inæquales potest valere divisio, dummodo alter, id quod minus intulit, id opera sua compenset; sunt tamen quidam, qui inter impares collatores, etiam, ubi nihil conventum est pares lucri partes esse, statuunt, moti fere his rationibus: 1. quia non tam quantitas collata, quam communis negotiationis fortuna spectatur. Sed contrarium satis nos docet l. 6. & 80. ff. pro soc. 2. quia lex Societatis, & amicitiae primo nata est ex æqualitate, & ideo pares facit, qui alias impares erant. Sed sufficit, limitationem hanc intelligi ex ratione l. 6. ff. de V. S. deinde, leges ita feruntur iis, quæ plurimum fiunt l. 4. ff. de il. & plerumque æqualis est collatio.

C A

I N A U G U R A L I S.

C A P U T I X.

Regula secunda, quæ spectatur circa lucrum & damnum, ita
se habet; ut, si partes sint expressæ à contrahentibus, illæ
servari debeant, modo conventio non faciat Societatem Leoninam,
conventio vero certa, ita ut placuit, est servanda; V. G. si duo
inter se pacti sunt, ut ad unum duæ partes lucri & damni, ad
alterum vero tertia pertineat §. 1. *in fin. inst. b. r.* aut unus lucri
partem ferat, de damno autem non teneatur §. 2. *inst. eod.* quam-
vis, si partes in lucro sint expressæ, non æque in damno, in
hoc eadem partes intelliguntur, & vice versa §. 3. *inst. eod.* Sed
Leonina Societas, est, ubi unus fert omne lucrum, alter, omne
damnum, qualis est prohibita; illius Societatis nomen desumtum
videtur, ex fabula, quæ extat apud Phædrum, *fabula 5.* cuius
verba hæc sunt.

Vacca, & capella, & patiens ovis injurie,
Socii fuere cum Leone in saltibus;
Hi, cum cepissent cervum vasti corporis,
Sic est locutus, partibus fælis Leo.
Ego primam tollo, nominor quia Leo,
Secundam, quia sum fortis, tribuetis mibi.
Tum, quia plus valeo, me sequatur tertia:
Malo adscietur, si quis quartam tetigerit.
Sic totam predam sola improbitas abstulit,
Nunquam est fidelis cum potente Societas.

Et quamvis non possit valere conventio de inæqualitate partium,
nisi alter plus pecuniæ contulerit, vel operæ alteriusve rei causa
l. 29. ff. in pr. b. t. tamen bene notandum est, si quis sciens, ac vo-
lens, animo donandi, ita contraheret societatem inæqualem, va-
lebit societas: nam si emtio, pro parte donationis causæ possit contra-
l. 38. ff. de contrah. empt. quid ni & societas? modo de animo
donandi liquido appareat.

B

C A-

DISPUTATIO JURIDICA
CAPUT X.

Tertia regula, illud expeditum est, ut si in una causa pars fuerit expressa, veluti in solo lucro, vel in solo damno, in altera vero omissa; in eo quoque quod prætermisum est, eandem partem servare oportet §. 3. *inst. h.t.* idque fit, non adeo quidem ex correlatorum natura, quam ex ratione, & natura hujus contractus, cum nihil æque ad conservationem rerum humanarum pertineat quam legitimæ æqualitatis observantia; ideoque rectissime à Paulo JCto relatum est, *quoniam esse commoda cuiusque eum sequi, quem sequuntur incommoda.* Nam ferendus non est, qui lucrum quidem amplectitur, onus autem ei annexum, contemnit *l. unic.* §. 4. *C. de cad. toll.* & quomodo hæc regula procedat in contractu societatis, eleganter docet *Bronkhorst. de Reg. Jur. adl. 10.*

CAPUT XI.

Hicce ad societatem requisitis, cognitis, videndum erit, quænam obligatio ex hoc contractu oriatur; nempe quæ sociorum pari, non inæquali vinculo obstringit, unde oritur ex ea actio, quæ ita describitur.

Actio pro socio, est actio, utrumque directa, personalis, boni fidei, famosa, qua datur socio, adversus socium, ad præstationes personales, quæ præcipue, consistunt in eo, ut lucrum communicetur æqualiter, si aliter non fuerit convenitum; item, ut sarciantur damnum, dolo, lata, vel levi culpa datum.

Cum hac actione sæpe etiam concurrit, actio communii dividendo, ut cui competit actio pro socio, competere etiam possit actio communii dividendo: quamvis non contra, qui habet actionem communii dividendo, habeat actionem pro socio *l. 2. ff. comm. divid.* Verum illa præcipua in contractu societatis est differentia, quod actio pro socio detur durante adhuc societate, actio communii dividendo finita societate, ut residuantur; quia communio adhuc potest esse, quamvis renunciatum fuerit societati.

Dicitur

ACTIONES AUGUR LISS.

Dicitur actio pro socio *utrimque directa*, quia pars est utriusque socii ratio, & mutua obligatio; itemque juris effectus communis, uti docet *l. 148. ff. de R. f.*

Personalis dicitur, quia datur durante adhuc societate de praestationibus personalibus, ad aequalitem redigendis; sunt autem praestations personales, quae non immediate de rebus, aut ex rebus, sed ex facto proveniunt; veluti, si unus in re communi damnum dederit *l. 48. & seqq. ff. b. t.* vel impensas fecerit, vel fructus perceperit. *l. 38. §. 1. & passim eod.* ut damnum reparet, impensas pro rata refundat, fructus perceptos, inter socios distribuat.

Bona fidei dicitur haec actio, quia bona fides in hoc contractu exuberare debet *l. 3. ff. b. t.* quare, si dolo malo, aut fraudandi causa coita sit societas, ipso jure nullius est momenti; quia bona fides contraria est fraudi ac dolo *l. 3. §. ult. ff. eod.* ideoque si socius, dolo quid commiserit, non est dubium, quin ex nomine hac actione teneatur.

Famosa vocatur, quia violantur duæ res sanctissimæ amitiae sc. & fides *§. 2. inst. de pena rem. literant.* *Datur insuper* haec actio socio, ejusque heredi (non tanquam heredi societatis, sed tanquam heredi complimenti) *adversus socium*, & ejus heredem *l. 40. l. 63. §. 8. ff. b. t.* socio competit, cui alter socius ex causa societatis aliquid debet. Hereditibus vero datur, quia non interest, qualis sit societas, dummodo tantum consensu constet; datur adversus socium qui aliquid debet ex causa societatis, & ejus heredem qui, (quamvis non sit socius) tamen bonam fidem implere tenetur, tam in privata, quam publica societate *l. 35. ff. eod.* verum, qui ex jussu cum aliquo societatem init, directa conveniri potest, de eo, quod ex initia illa societate a socio debetur *l. ult. ff. eod.*

Et quamvis nudo consensu perficitur societas, non impletur ramen, nisi re promissa, illata, adeo quidem, ut *liceat* socio eadem re frui, cuius gratia suscepta est negotiatio *l. 15. ff. b. t.* si vero recuset implere fidem contractus, tenebitur hac actione. Sed quæxi hic posset, num præcise teneatur rem præstare, vel, an liberetur præstando, id quod interest? & videtur posterius affirmandum,

12 DISPUTATIO JURIDICA

arg. l. 13. ff. de R. Jud. quia in obligationibus facti, nemo tenetur præcile factum præstare l. 72. de V.O.

Præterea socius socio tenetur de *danno*, *dolo*, *tata* vel *levi culpa* dato; At non de *levissima*, vel *casu fortuito*; quia societas ad omnium contrahentium utilitatem spectat; quare, si socius sua negligentia, damnum intulit, etiamsi per servum, id præstabit: neque compensabitur damnum, cum commodo, quo alias societatem sua industria auxit l. 23. l. 25. & 26. ff. b.t. quia ex ipso contractu obligatur ad industriam exhibendam. Si vero sit in mora, adeo, ut non reddat societati id quod lucrificat, & ipse usus sit, tenetur socius præstare debitas usuras, aut inter esse l. 80. ff. eod. de casu fortuitio, teneri non potest; quia damnum & periculum, commune est societati, nisi sua culpa in casum incidat l. 52. §. 4. ff. b.t. l. 23. ff. de R. J. & ideo sufficit, si talem diligentiam adhibeat socius, qualem in suis rebus adhibere solet §. fin. inst. de societ.

Socio ex hac actione condemnato, competit porro beneficium competentiae, tum in universalis, quam particulari societate l. 63. ff. b.t. est enim hoc speciale privilegium, ut non teneatur in solidum, sed quatenus facere possit, & si certa tantum rei, vel negotiationis socii sint, nisi dolo malo fecerit, quo minus facere possit; ratio est, quia societas jus fraternitatis continet, & ideo jus hoc fratribus tribuunt, cum etiam frater in subsidium ad alimenta teneatur. Verum hodie, non gaudent hoc beneficio teste Groenweg. ad §. 38. inst. de action. Non excludit Ulpianus in l. 16. ff. de R. Jud. pecuniarem socium. Privatur autem hoc beneficio, si se socium negaverit l. 67. §. ult. in poenam mendacii l. 22. §. 1. ff. eod. ubi regula habetur, quod negans dolose id, quod beneficii causa est, id amittat, vel dolo fecerit, quo minus solidum præstare possit. l. 63. §. 7. ff. b.t. nec æquum est, dolum suum quemque relevare.

CAPUT

CAPUT XII.

Sequitur jam ultimo loco, ut videamus, quibus modis finitur societas; nam, ut certis modis contrahitur, ita quoque certis & finitis solvitur. Primo, quemadmodum *consensu* initur, ita *contrario consensu* absolvitur; *nihil enim tam naturale est quam eo genere quodque dissolvere, quo colligatum est l. 35. ff. de R. J. ratio est*, quia nemo invitus in communione manere cogitur *l. fin. C. commun. divid.* cum communio rixas & discordias plerumque excitare soleat *l. 77. §. 20. ff. de legar. 2.* idque fit, non tantum dissensu omnium sociorum, verum etiam, renunciatione unius, tempestive, & bona fide facta *l. 5. C. b.t.* quia dicitur in *Dict. l.* tam diu manere societas, quam diu consensus integer manet: sed si unus tantum dissentiat, consensus amplius integer non est; Quare unus etiam tempestive renunciat societati modo fiat legitime, & sine fraude. Sine fraude renuntiatio fieri non potest, quando cæterorum jam interest, societatem non dissolvi; Nec per illam renunciationem socius renuncians liberatur, a præteritis debitibus, sed futuris obligationibus: Tempestiva non videtur facta renunciatio, quando facta est, ante tempus placitum *l. 65. §. 5. ff. b.t.* nisi sit justa causa, v. gr. si socius promissis non stet *l. 14. ff. eod.* vel, quod ea re frui non licet *l. 15. ff. eod.* vel sit rixosus *d. l. 14.* aut diu ab futuris, & quæ sunt plura. Legitime non fit, quando absenti fit *l. 17. §. ff. b.t.* fraudulentiter facta est renunciatio, quando quis in hoc renunciat, ut solus lucrum participet *§. 4. inst. de societ.*

Furiosi curator potest quoque renunciare societati cum furioso contractæ *l. ult. C. b.t.* ubi ita sanctum est, ut quando furiosus redditur socius, eique datus sit curator, hic curator, licet non sit ipse socius, non secus ac tutor, qui pro domino habetur *l. 27. ff. de admin. tor.* possit societati renunciare; quia potestas, data ad contrahendam, etiam ad distrahendam data videtur.

Solvitur secundo modo societas, *morte naturali, & civili*, id est

14 DISPUTATIO JURIDICA

est maxima, & media capitis deminutione *l. 63. ff. in fin. b. t.* etiam unius socii, quamvis plures adhuc supersint: nisi expresse con-
venerit, ut uno mortuo, inter reliquos adhuc duret jus societa-
ris *l. 65. §. 9. ff. b. t.* quod adeo quidem verum est, ut ne qui-
dem ab initio pacisci possit, ut haeres in societate succedat *l. 35.*
59. ff. eod. quia, qui societatem contrahit certam personam eligit,
& nemo invitus, socius est efficiendus, cui socius esse non vult
D. l. 65. §. 11. Bronch. cent. 2. affer. 49.

Tertio, extinguitur societas *rei interitu*, cum vel ipsares omni-
no perit, vel suam substantiam, aut naturam mutat, ut si con-
secetur, vel publicetur *d. l. 63. §. fin. ff. eod.* nam & publicatio-
ne distrahit societas *§. 7. Inst. b. t. d. l. 65. §. 12. ff. eod.*

Rescinditur quarto loco societas *cessione bonorum* *§. 8. Inst. b. t.*
quando enim socius ære alieno obrutus, ad hoc, ut evitet car-
cerem, bonis cedit. Prodest autem cessio bonorum, ne cedens
bonis, in carcerem intrudatur *l. 1. C. de cessio. bon.* non ut à debito
liberetur; quia si postea perveniat ad pinguiorem fortunam, co-
gitur creditoribus, satisfacere. Solo autem facultatum lapsu,
non solvit, nisi talis fuerit, ut manifeste appareat, nihil in bo-
nis remansisse *l. 4. in fin. ff. b. t.* illud vero intelligendum est,
de extrema egestate.

Quinto, & ultimo loco, finitur societas, si alicujus rei con-
tracta sit societas, & negotium fuerit finitum. *§. 9. Inst. l. 63. §. ult.*
l. 65. §. 10. ff. b. t. si societas pro tempore fuerit contracta, solvi-
tur quoque tempore expleto *l. 65. §. 6. eod. & l. 63. §. pen. ff. eod.*
quocunque tandem modo contrahatur societas, æquum est, ut
hisce modis jam dictis finiatur; sive ita conventum fuerit, sive
non, quia hic contractus, cum invito subsistere nequit.

C O-

COROLLARIA.

I.

Culpa, in contractibus præstatur secundum Regulas l. 5. §. 2. ff. mandati.

II.

Fidejussor, in maiorem summam acceptus, quam debitor principalis, nullo modo tenetur.

III.

In mutuo est alienatio.

IV.

Casum fortuitum conventione, quis in se suscipere potest; ne autem de dolo quis teneatur, conventio nulla est.

V.

Res aliena non potest oppignorari.

VI. Pe-

V I.

*Periculum rei vindictæ, & nondum tradi-
ta, pertinet ad emtorem.*

V I I.

Ex pacto non datur actio.

V I I I.

Maritus est Dominus dotis.

I X.

Hæreditas, non pertinet ad res corporales.

X.

A sententia arbitri, nulla datur appellatio.

